7.E.11-9 (1)

AD ILLVSTRISS.MOS ET REVERENDISS.MOS PRINCIPES.

ET DOMINOS ATQVE D. MEOS S. R. E. CARDINALES.

RERVM SACRARVM.

CARMEN.

Per Emanuelem Conſtantinum Funchalenſem Luſitanum Sacræ Theologiæ Doctorem, atque Sacri Collegij Clericum.

SVPERIORVM PERMISSV.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
M. D. XCVII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS PRINCIPIBVS S. R. E. CARDINALIBVS.

Doctor Emanuel Conſtantinus Sacri Collegij Clericus. S. P. D.

CVM multæ ſint res, quæ virum optimum facile probare poſsint, tum nulla illuſtrior præſtantiorq. quam grata beneficiorum memoria; quæ quamuis in me maxima ſit, eo hactenus fuit obſcura; cum nulla occaſio ſeſe mihi obtulerit, ſignificandæ meæ erga D.V. Illuſtriſſimas voluntatis. Nam quantum illis debeam; ſic omnibus notum eſt, vt idipſum diſſimulare non poſſim. Optarem equidem; vt in me tanta dicendi, vis atque facultas eſſet. Et tantum temporis ad ſcribendum dari, vt in tot tantiſq. laudibus accurate percenſendis, copioſe exornandis, artificioſe exagerandis; oſtentare me poſſem. Vt enim pictor; cui in exigua tabella ingens aliqua hominum multitudo exprimenda eſt, nonnullorum vultus tantum atque ora multorum ſumma modo capita oſtendit; totum reliquum corpus abſcondit, ita me cum D.V. Illuſtriſsimarum innumerabiles laudes in hac breui Epiſtola concludere vellem, ſignificare, & delibare potius quàm oſtendere neceſſe fuit. Accipiant ergo hoc noſtræ tenuitatis munuſculum, quod ſi gratum fuiſſe cognouero ad alia elucubranda me quam diligentiſſime accingam. Valete. Romæ pridie Kalendas Martij 1597.

Digitized by Google

AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM DEI MATREM.

Quæ Religioſiſſime colitur in Aede Lauretana.

SANCTA parens & nata tui (res mira) parentis.
Quodq. magis mirum eſt: Filia, ſponſa, parens.
Vt teneri pro matre gemunt in ouilibus agni;
Dum ſæuus caulas ſæuit odore lupus.
Sic tua ſupplicibus expandas brachia votis,
Optatamque feras Virgo rogamus opem.
Aſpice, quam crebris nos ictibus impetit hoſtis;
Aſpice, ſidereus quam procul orbis abeſt.
Ad te confugimus, veræque ſalutis egeni,
Vitæ expectamus deficientis opem.
Dirige deuoti greſſus ad ſidera ſerui,
Et pia? vis igitur. mater es? ergo potes.

Ad eamdem Beatiſſimam Virginem Mariam.

ALma parẽs hominũ ſuperas Regina per auras,
Quæ geris ardenti Sceptra coruſca manu.
Cuius ad os oculoſque domus ſtupet alta Tonãtis,
Et ferit auratas aurea turbas liras.

Digitized by Google

Cuius ad excelſos Phæbi rota fulgida vultus,
Amittit radios lumine victa ſuos.
O decus o Summi nitidiſſima ianua Cæli,
Ianua quæ facilem pandis ad aſtra viam.
O iubar o præſens æternæ gloria gentis,
O ſpes humanis vna relicta malis.
Si pia ; te lachrimæ tangunt gemiſtuſque dolentū,
Si nomen veræ ſola parentis habes.
Reſpice luminibus cælo pietatis ab alto
O Genitrix, nati vulnera ſæua tui.
Reſpice me trans fixa graui tua viſcera telo:
Reſpice iactatas ore madente preces.
Quot premis incedens altas ſuper ætheris arces
Sidera per geminos conſpicienda Polos.
Tot mea ſunt in te, & rerum commiſſa parentem
Crimina, quæ trepidans re meminiſſe pauet.
Et ni ſumma foret Summi patientia Regis,
Qui placido tantum ſuſtinet ore nefas.
Iam me terra ſinu patefacta voraſſet aperto,
Et premerent imis ſtagna profunda vadis.
Nempe cupis Virgo tuis ſuccurrere natis,
Et tibi nil ſumma qui ſedet arce negat.
Quò pia me vertam? Si tu mihi lumina vertis?
Quem moueat; ſi te non mea plaga mouet.
Si quis erit qui Virgo tuam confugat ad aram,
Hic ſubito ſæuo tutus ab hoſte fuit.
Nunc igitur vultus lachrimarum fonte madentes.

Et ſingultantes commiſerare ſonos.
Accelera pia mater, abit mens, vita recedit,
Si tua ferre citam dextra moratur opem.
Si vacat hoſpitio lachrimanti ſidera vultus
Ad dominumque velis pauca referre meum.
Lingua tremens hæret medio contracta palato;
Ora verecundo tincta rubore cadunt.
Rogo per immenſi crudelia vulnera nati;
Qui me nox erebi ne voret ima tulit.
Per latus infando traiectaque viſcera ferro;
Ante (nefas) oculos quæ patuere tuos.
Ne pia ne lachrimis oculos auerte benignos,
Neue tuam lapſo protrahe ſancta manum.
Non flectenda tibi Solimæ ſunt viſcera gentis;
Non tibi ſunt duris corda mouenda feris.
Sed quem ſacrato conceptum ventre tuliſti,
Quique tuo iacuit Sarcina grata ſinu.
Hunc mihi concilia quando potes omnia mater,
Hoc amor hoc pietas te tua magna rogat.

Ad eamdem Beatiſſimam Verginem.

ASTRORVM decus, & ſuperi laus inclita Regni,
Et veteres toties quam cecinere tubæ.
Aduerſum ſtygium tua dextera militat hoſtem

Nec vacat officio ſegnis inerſque pio.
Te vocat ad Medum tendens mercator Hydaſpem,
Seu crebro tortas vortice tranat aquas.
Et qui letali traiectus pectora ferro,
Hoſtilem moriens corpore plangit humum.
Et qui complexu laceratæ membra carinæ,
Laſſa procelloſis corpora iactat aquis.
Quique ſedet duris religatus crura cathenis,
Ipſe tuam cæco carcere poſcit opem.
Audis, & è celſo requiem concedis olimpo,
Quamlibet æratas non timet ille fores.
Singula quid referam? per te miteſcere chieſtum
Cernimus, offenſi cum tonat ira Dei.
Sæpe tuis precibus genitor ſua tela reponit,
Fulmina cum celſa torquet ab arce poli.
Ergo cum toties ſeſe tibi debeat orbis;
Cum celebrent nomen fœmina virque tuum.
Sancta precor miſerere animum, & ſolare dolentē,
Et ſolitam duris caſibus affer opem.
Eripe me ventis, & habenti nubila ponto;
Infidum raucis nam mare feruet aquis.
Quaſſatamque ratem pelagi indignantibus vndis,
Fac precor in portus aura ſecunda ferat.

Ad Chriſtum natum.

SI Rex es cæli? tua ſunt vbi Regia ſceptra?
Si bonus es paſtor? dic vbi agreſte pedum?
Si Dux es terræ? tua ſunt vbi bellica ſigna?
Si Deus es? rutilum dic vbi fulmen habes?
Sic ego: ſic tacitus viſus mihi dicere Chriſtus:
Sceptra, pedum, ſignũ, fulmen, obumbrat amor.

Ad eumdem.

QVID non tentat amor radiantibus aureus alis;
Quo ruit ætherea tractus ab arce Deus.
Facta merent noſtri primi genitoris Adami;
Naſcitur omnipotens vt mea damna luat.
Naſcitur, vt poſſint illo naſcente renaſci;
Quæ vitijs penitus corda ſepulta iacent.

Ad Paſtores.

PASTORES; quæ cauſa moræ? properate viciſſim;
Viſire iam natum ruſtica turba Deum.
Ferte agnos hædos, & preſſi munera lactis;

Et pro purpureis Lilia ferte roſis.
Cur puero placeant paſtorea munera tantum
Quæritis? iſte puer paſtor vbique fuit.

Amor feruens peccatoris ad Chriſtum in Præſepio.

VT ſedet arbutea Cignus ſub fronde Canorus;
Mille ſonans querulo dulciter ore modos:
Vt gemit herboſo triſtis philomela ſub antro;
Saucia cum luctus promit amore ſuos.
Tollit vt ad ripas cantus vocalis Aeon,
Cum Fluuius ſtrepitus addit & ipſe ſuos.
Sic ego te lachrimis exul bone Chriſte requiro;
Quis mihi det votis accubuiſſe meis.
Donec in exilio patria Semotus ab illa
Vixero, erunt lachrimæ potus & eſca mei.
Nullaque ceſſabit triſtes lira promere queſtus;
Suſpirare quies plangere carmen erit.
Dum cœlum intueor ſurſum dum lumina verto,
Atque tuo ſupero cogor amore frui.
Lachrimor, & triſti ſingultu viſcera preſſans;
Heu inquam in miſera quid moror exul humo!
Quando erit illa dies cum te mea vita videre

Dicet; & hoc ſemper ſpes mea poſſe frui.
Totus vt igne tuo tete liquefactus amarem;
Vt iam vita mihi non niſi amara foret;
Ad te confugio rerum dulciſſime Ieſu;
Quando dabis ſeruo gaudia vera tuo.
O amor immenſus pietas mirabilis omni
Tempore, Rex ſerui ſeruus amore ſui eſt.
Eripe captiuum, Rex vincula carceris huius
Rumpe; quid immenſas protrahis vſq. moras?

Ad Chriſtum natum in Præſepio.

QVALE breues clamant tecti de culmine pulli,
Vt vaga det fo[illegible] mater hirundo cibos.
Tale ego de fragili clamabo cacumine mundi;
Vt diuina meus viſcera tangat amor.
Seu gemitus alta meditatur ab arbore mæſtos;
Voce vocans comitem blanda columba thori.
Non ſecus ex imo deductos pectore queſtus
Ad patrios mittam nuntia fida ſinus.
Spectando vigiles tenuarunt æthera viſus,
Lumina ſuſpectu ſunt mihi feſſa ſuo.
O Deus hanc animam, miſera ne morte fatiſcat,
Exue iam Summis te precor alme malis.
Supplicij parcus veniæ largiſſimus idem;

Poſt

Poſt tua terga ſcelus reijcis omne meum:
Quippe tibi nullos ater canet orcus honores;
Nec laudes vnquam mors canet atra tuas.
Nec fidei promiſſa tuæ, felicia Regna,
Exſpectat ſtygijs obruta turba vadis.
Mira tibi ſemper fundant præconia viui;
Qualia nos totum fundimus ore diem.
Me Deus incolumem letalibus exime morbis,
Fac teneam ſtabilis dulce ſalutis iter.
Sic tua magnificis reſonabit gloria templis;
Sic dabimus cunctos Carmina feſta dies.

Ad Beatiſſimam Virginem Luciam.

SIDERA vt auricomi radijs Titania phæbi
Splendeſcunt: Phæbiq. ſoror, quæ cornua cælo
Nunc formoſa gerit; plenum nunc induit orbem,
Nunc obſcura latet, maneſq. Acheronte ſilentes,
Æthereos terret coniux Plutonia vultus.
Sic tua lux oculos pulcherrima Lucia noſtros
Irradiat; tenebraſque e corpore diſcutit ægro,
Datque videre iubar, ſine quo non ætheris arces
Non cælo ſubiecta videt. Sed quo feror? aut quis
Audeat igniuomum tecum componere Solem?

Ille

Ille licet pelago ſurgens rubicundus Eoo
Cæruleum roſeo perfundat nectare cælum.
Obuius ante tuos celabit lumina vultus
Inque coloratum retrahet mare pallidus ignes.
Lucifer obſcuræ tegitur caligine nubis,
Et nigra ſub nocte latet, lunaque propinqua
Deficit, & totum patitur tenebreſcere cælum.
At tua lux quãquã tellus, mare, nubila, & æther,
Stent aduerſa manet; nulloque abſcondita ſæclo
Deficiet; dum ſæcla polis voluentibus ibunt.
Lucifer effundit; cæli licet arduus alti
Regna colat; mortale iubar, quod corpore toto
Ius habet in fragili; tua lux diuinior illo eſt:
Et quæ corporibus cum ſit medicina caducis,
Eſt animis etiam rebus ſolamen in arctis.
Lucifer exurit terras velut ignis & vrens
Omnia conſumit; tua lux velut ignis adurit
Pectora. ſed tali, quæ flagrant pectora flamma
Nobiliora manent, ſuperæq. ſimilima genti.
Lucifer illuſtrat mortalia lumina & illo
Quidquid habet mundi moles immenſa videmus
Si tamen ægrotent oculi, grauis incubat vmbra:
Quamquam Hiperioniæ diſtent oriente quadrigæ;
Et Tharthesiaca ſpatijs æqualibus vnda.
At tua lux neſcit vmquam nocuiſſe videnti.
Si tamen illa poteſt mortali e ſede videri,
Nam ſi Phæbeæ ſimilis foret, inque minorem

Irrue-

Irrueret Sol ipſe; & ſidera cuncta manerent
Squallida, fulgentes atra ferrugine vultus.
Lucifer immenſi dum circuit ætheris arces
Dat iubar; vtque vices velocia tempora ſeruant;
Itque reditque viam toties; oriturque caditque;
Et peragit lento duodena animalia greſſu.
At tua lux immota manet; cæloque ſupremo
Fulget, vbi è noſtris euicta laboribus æuum
Tranſigis, æternum volucrem Titana mouere
Sub pedibus curamque videns lathoida fratris,
Aſtraque præcipites agitare micantia currus.
Ergo oculos huc flecte tuos, oculoſq. tuorum
Sancta potens recrea, fragiles & lucis egentes.
Luminibuſq. animæ radios immitte coruſcos;
Vt cælum penetrare queant, atque altius arcem
Intendiſſe acrem, teque in ſplendore ſedentem,
Inter cælicolas maieſtatemque Tonantis
Cernere diuino, cuius tu Lucia & orbis
Lucifer; hauſiſti radioſam e lumine lucem.

F I N I S.

ROMAE, Apud Aloyſium Zannettum.
M D X C V I I.

Digitized by Google